Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2131
Quelle:
Copyright:

praesens in Dedicatione recte legit *dignitatem humane nature* pro *uilitatem;* finit vero, ut Editio, quam ibi *Schoepflinianam* adpellavi, et addit: *Explicit liber de Miseria humane conditionis.* Ad tergum *fol. ult.* alia manus Praxin quandam superstitiosam adlevit, quae nunc maximam partem extrita est, studiose, ut videtur.

II. *fol.* 26. sequitur Συνταγμα sacrarum *Dictionum* in Festa Domini et SS. per anni circulum, insertis etiam Dominicis a Septuagesima ad Pascha. Praeit Epistolium has Dictiones expetentium in hunc modum: *Cum proxime in nostro Conuentu resideres. et uerbum iuxta datam tibi sapientiam faceres. omnibus qui aderant est uisum non te set angelum dei per te fuisse locutum. Vnde etiam plurimi de fratribus de uerbis tuis compuncti. multum iam proficiunt in timore domini. Quamobrem rogamus te* &c. Respondet Autor: *Peritissimi Pictores Ambrosius et Augustinus. Jeronimus et Gregorius. et alii quam plurimi mira celatura et uaria pictura egregie ornauerunt domum domini* &c. Et postquam *reuerendos fratres* adpellasset, prosequitur: *nouam depinxi tabellam. ut quibus non uacat immensitati illorum egregii operis considerando diutius insistere. eos non pigeat saltim in festis diebus huius tabelle aliquam formam perspicere. Huius tabelle sit nomen speculum ecclesie.* &c. En igitur *Speculum Ecclesiae* aliud ab eo, quod *Hugo a S. Caro* Card. de Missae Officio composuit. Praefixo porro brevi Monito, quas Preces sacer Orator Sermoni praemittere debeat, Sermo primus est *in Natiuitate domini nostri ihesu christi*, hoc initio: *Letentur Celi Et Exultet Terra* &c. *Merito iubentur hodie celi letari* &c. Ultimus vero abruptus Commemorationi Defunctorum destinatus videtur; est enim in illud: *In memoria eterna erit iustus* &c. et inchoat: *Cuncta que fiunt in hac terra oblivionis obliviscuntur* &c. Autor, qui rhythmum *Gregorii* M. perpetuo adfectat, et multus est in referendis historiolis, *fol.* 72. p. 2. Sermonem ita orditur: *Exultandum nobis est dilectissimi in sollempnitate Sanctissimi patris nostri Benedicti* &c. quin igitur inter *Benedictinos* censendus? Suspicari quis possit, latere hic *Bartholomaeum* Abb. *Cluniacensem* a. 1230. e vivis sublatum, cujus *Sermones* extare in *Bibl. R. Parisina Cod.* 4295. Titulo: *Speculum Claustralium ex dictis Sanctorum Patrum Gregorii, Augustini, Ambrosii, Hieronymi, Origenis et aliorum* ait *Oudinus* T. III. *col.* 45. et ex eo *Ziegelbauerus* in *Hist. Rei Lit.* O. S. B. P. IV. p. 159. Sed nempe ibi *Sermones* etiam *de Tempore* adsunt, quos *Codex* noster ignorat, Pronuntiabit, cui Codices inter se contendere integrum fuerit.

III. *fol. ult.* Narratio fabulosa de *Paulo* Apostolo et *Michaele* Archangelo infernum invisentibus, manu paullo recentiore exarata,